



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XV. Idem P. Subdiacono nostro, Præposito & Capitulo (a) Ebrudun.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

### Tit. VIII. de Concess. Præbendæ.

219

(b) *Conventum de Bello.*) Guillelmus Dux Normannorum tria magnifica monasteria diversis in locis construxit, eaque multis prædiis, va-  
risque donariis dedit; duo in Anglia, unum eō  
loci, quod cum Haraldo, Angliae Rege dimicavit  
prope Hastings, quod præium refertur in ge-  
stis Guillelmi, Ducus in his tor. Norman. fol.  
200. pro expiatione animarum militum qui in  
eo bello occubuerant: quod Cœnobium Divo

Martino dicavit; appellavitque *Monasterium ad Bellum*, ut simul monumentum parat tanto bello victoriae in perpetuum foret, ut refert Polydorus Vergilius in his tor. *Anglia*, fol. 158.

(c) *Marcharum.*) De earum valore in *Anglia* egī in cap. 3. de pætit. 2.

(d) *Non tenet.*) Juxta adducta in cap. 2. hoc  
titulo.

## CAPVT XIV.

Idem Abbatii, & Conventu monasterii sancti Michaelis  
de (a) Gasto.

Accedens ad Sedem Apostolicam dil. fil. R. clericus, suâ nobis insinuatiorē monstravit, quod cū promiseritis vos provisuros eidem in ecclesiastico beneficio, cū possetis, sicut per litteras Decani Sueßion. & suorum coniudicū super hoc à Sede Ap. delegatorum, quibus tenet litterarum vestræ promissio-  
nis erat insertus, liquidò edocebat, vos id haec tenus efficere non curastis, alle-  
gantes coram iudicibus memoratis quod talis promissio vos nullatenus obliga-  
ret, cū videretur esse facta contra statuta Lateranen. Concilii, quod promis-  
sionem inhibet beneficii non vacantis. Nos autem considerantes, quod aliud  
est Prælatum promittere beneficii collationem, cū poterit, aliud cū vaca-  
bit, cū in multis casibus se facultas offerre posset, in quibus non esset colla-  
tio in expectatione vacaturi beneficii differenda, per Ap. vobis sc. mandamus,  
quatenus memorato R. competens ecclesiasticum beneficium assiginetis, alio-  
quin Abbati sancti Joannis, & Decano Sueßion. damus nostris litteris in manda-  
tis, ut vos ad id per censuras ecclesiasticas appellatione remota compellant.

### NOTÆ.

Masonius in descriptione Gallia per flumina,  
fol. 683.

(a) *Gasto.*) In quarta collectione, sub hoc tit.  
Cap. 1. ita legitur; in hac sexta collec-  
tione tantum legitur, *Idem*; sed tamen credo  
legendum esse, *sancti Michaelis de Caranto;*  
monasterium enim hoc est Ordinis Divi Bene-  
dicti ad mare situm; in Pictoribus, juxta flu-  
men Carantonum, totusque ille tractus inun-  
dat fuit; deinde recedente mari, apparueru-  
tere terræ paulatim, & paludes desiccatae, qua pro-  
pter situs commoditatem, ac terræ ubertatem  
coli, at frequentati coperunt. In eo sacellum  
primo constructum est peregrinationibus, ac  
religionis celebrarum, quod postea in ampli-  
fimum, & locupletissimum monasterium Divo  
Michaeli dicatum evasit, ut refert Papirius

(b) *Cum possetis.*) Olim enim promissio gene-  
ralis beneficii vacaturi, cū poterit, aut cum  
vacaret, valbat, quia saepè permittuntur in  
genere, que in specie non permittuntur, cap. non  
estimemus 13. quæst. 2. l. 1. q. qui quæstionem,  
21. ff. de quæstionibus; & docetur in præ-  
senti decretali, que correcta est per Bonifaciu-  
m VIII. cap. detestanda, hoc tit. lib. 6. ubi  
verba illa, licet olim fuisset canonica oratione  
decreatum, de hac decretali accipit Nicho-  
laus Fabricius de benef. titul. 8. cap. 1. numer.  
65. docent Valensis in parat. ad hunc titulum;  
cap. 1. Barbola de potest. Episcopi alleg. 126.  
Commentarium hujus textus dedi in cap. 1. hoc  
titulo.

## CAPVT XV.

Idem P. Subdiacono nostro, Präposito & Capitulo  
(a) Ebrudum.

Potulatis per Sedem Apostolicam edoceri, ut cū ad vos simul, & Archiepi-  
scopum vestrum donatio præbendarum Ecclesiæ vestræ pertineat, utrum præ-  
bendæ vacantis donatio penes Archiep. remaneat, si eam intra semestre tempus ne-  
glexeritis ordinare. Ad quod vobis breviter respondemus, quod si vos, & idem  
Archiepiscopus intra tempus præscriptum negligentes extitistis circa collationem  
D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

T 2 vacan-

## In Librum III. Decretalium,

vacantium præbendarum, sicut nec ab illo ad nos, ita nec à vobis ad illum potestas devolvitur conferendi; sed secundum statuta Lateranen. Concilii, ad superiorum transit donatio earundem, nisi forte Archiepiscopus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus vobiscum habeat jus conferendi, & in hoc casu, cum dolosè forsitan impudenter, dolus ei suffragari non debet.

## NOTÆ.

- I. (a) **E**brudun. In hac sexta collectione tantum legitur, idem, in quarta autem, sub hoc tit. cap. 2, ita legitur; sed credo legendum esse Ebredun. Ebredunum enim, seu ut alii volunt, Ebredunum, civitas est in Alpibus maritimis, sita ad Druentiam fluvium, earumque Metropolis civilis dicitur in notitia provinciarum Gallie: à principio Episcopum tantum habuit, ut con-

stat ex Concilio Regiensi can. 2. postea tamen Metropolite dignitatem obtinuit, ut constat ex Hilario epist. 4. ad Leontium, ibi: *Frater, Et Coepiscopus noster ingenuus Ebredunensis, Alium maritimorum provincia Metropolitani semper honore sebixxus.* Referunt Carolus à sancto Paulo in geograph. sacra, fol. 145. Chenu in chron. Gallie, fol. 508. Commentarium hujus textus dedi in cap. dilecti, de sapplend. negligientia.

## CAPVT IX.

Honorius III. Episcopo, Preposito, & Cantori (a) Cameracensi.

**C**um dilecta in Christo filia, nobilis mulier (b) Joanna Comitissa Flandrensis, devicta quorundam precibus importunis fecerit promissiones illicitas de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum, in quibus jus obtinet patronatus, & donationes eorum in (c) manibus posuerit alienis, sicut est nostris auribus intimatum: disc. v. m. quatenus irritum decernentes quidquid super hoc ab eadem inveneritis esse factum contra institutiona canonica, auctoritate nostra inbibeatis eidem, ne similia de cætero attentare (d) præsumat.

## NOTÆ.

- I. (a) **C**ameracensi. Ita restituo epigraphen, & integrum ex quinta compilatione, edita à Cironio, ubi sub hoc tit. cap. 1. reperiatur textus hic: *De Ecclesia Cameracensi nonnulla notavi in cap. 19. de rescript.*

(b) **I**oanna. Videlicet Constantinopolitana, Balduini Imperatoris Constantinopolitanus filia, quæ patre suo peregrinè mortuo, successit in Comitatu Flandriæ, anno Christi 1206. cuius prior maritus fuit Ferdinandus filius Regis Portugalie, quem bello captum Philippus Augustus per decennium detinuit in carcere: posterior fuit Thomas filius Ducis Sabaudie. Ad ipsam, ut Comitissam Flandriæ spectabat jus præsentandi in beneficiis ecclesiasticis, ut constat ex cap. dilecto, de testibus, cap. 1. de re iudic. in 3. collect. referunt Boëtius Epon. tom. I. quæst. heroic. titul. de Regalibus, Cujacius in cap. .

hoc tit. & in dict. cap. dilecto. Altera de Dabibus cap. 8.

(c) *In manibus posuerit alienis.* Hæc verba expolui in cap. constitutus II. hoc tit. & an patronus possit constitue procuratorem ad præstandum assensum in beneficiis vacaturis, exponit Lotherius lib. 2. de re benef. cap. 6. in princip.

(d) *Præsumat.* Ad eum jus canonicum abhorret promissiones beneficii non vacantis, ut neccum eas à patronis fieri permittat, licet ipsi possint postea variare, & ita nullum jus videatur præsentato quæsumum: & licet possint transferre jus patronatus in alios, cap. ex litteris, de jure patron. tamen non valent præsentationem in beneficii vacaturis alii donare, ut docent consiglii à Barbosa in præsenti, quibus addo Boëtium Epon. in repetit. ad hunc texum, Mancinum sacri juris controver. cap. 23. ex ratione adduceta in cap. 2. hoc tit. ex quo commentario præsens petendum est.

TITVLVS